

gerens animumque
 [sacerdos
 b numine venti,
 ns, in vota lacessit
 bona voce precatur.
 navarchus ab ortu
 mulcente secundo,
 ntu, insurgere remis,
 e, celeresque ferun-
 [tur.
 nus attollere, et alta
 vale clamat et echo.
 imum turma carina
 per caerula nautas
 t pietatis imago.
 sinunt constringere
 [remos
 evi discriminis auso
 ago quam currere
 [aperto
 entisque feroce.
 ostia cursu
 hiems, vel fata su-
 [persint
 classe, magister.
 um, proramque sub-
 [urget
 xa, sinumque Lucri-
 [num,
 nytes aperitur iniquo.
 Litteraque dextra
 rent ergastula fluctu,
 haud sotibus un-
 [quam.¹
 torquent, recessus
 ant tum littora Circes.
 tris prodit arenas,
 sparsaeque per
 [imas
 et Palmaria fronte.

ene.
 NARI, Sponsor.
 GLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELIGIONE
 TENET

C. DEL VECCHIO



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), Bre-cia, CAIRO (in Aegypto), Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gargagnana, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, Lion, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietr'angeli, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; *c*) parsimoniae fovenda sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) perscriptions compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae private; *d*) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g*) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandum, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xylinâ structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2,40; march. 12; rubl. 5; sh. 10; peset. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad Iosephum For-
nari doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*

GOTIA.

iuxta quotidianas
lie exigendi usque
, lib. 50.000; pro
pariter quotidianis,
, si mensium duo-
tate quotidie defe-
vero summa man-
lib. 5000; ad dies

t duarum persona-
duque pro omnibus
xita italicam legem
bus subvenit; c) in
lorum publicorum,
emittit ex credito
r; e) exterios num-
accipit, pro iisque
trat tum consocia-

ociis

venum dantur,

um, Milesiae
is. – Singulæ

. – Si tegu-
ulo, lib. 2,25.

iones drama-

cula. – Lib. 1.

Socialistarum commenta de re publica gubernanda

Qui felices eventus pro socialistarum
factione, apud Italos praesertim et Belgas,
in recentibus comitiis ad legatos publico-
rum coetuum deputandos habiti sunt, de
socialismo disputationes passim restitue-
runt, idque in discrimen est maxime revo-
catum an socialistarum placita ad gubernan-
dos populos iam sint irreptura: veluti
si quae in Russia fiunt adhuc, quaeque in
Hungaria, per breve quidem, feliciter, tem-
poris spatium facta sunt, satis superque-
rem non doceant.

Quamquam igitur haec vitae actae mo-
nita abunde socialistici regiminis fallaciam
evincere debent, liceat tamen de socia-
lismi summa doctrina nonnulla h̄ic adnotare, imo repetere. *Magnam enim char-
tam immortalis Pontificis Leonis XIII et
de hoc arguento iterum volvere et non-
nulla capita relegere voluimus, per quae
cuique maxime in aperto fiat, non modo
socialismi rationem de gubernandæ rei-
publicæ fundamento esse iniustum, ordi-
nemque humanae societatis perturbare,
sed ipsam opificum conditionem deterio-
rem efficere.*

Sic Romae, sic ubique feliciter!

A. R.

**

Socialistae igitur evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris, qui rem publicam gerant. Eiusmodi translatione bonorum a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequaliter partiendo.

Atqui possidere res privatas ut suas, ius est homini a natura datum. Cui quidem, quem solum animal sit rationis particeps, per quam a belluis differt genere toto, « bona tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque iure possidenda; neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent ».

Quod magis etiam appareat, si hominum in se natura altius spectetur. « Homo enim quem innumerabilia ratione comprehendat, rebusque praesentibus adiungat, atque adnectat futuras, quumque actionum suarum sit ipse dominus, propterea sub lege aeterna, sub potestate omnia providentissime gubernantis Dei, se ipse gubernat providentia consilii sui: quam ob rem in eius est potestate res eligere, quas ad consulendum sibi non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime iudicet idoneas. Ex quo consequitur, ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terrae dominatum oporteat, quia e terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus necessarias. Habet cuiusque hominis necessitates vel perpetuos reditus, ita ut hodie explete in crastinum nova imperent. Igitur rem quandam debet homini natura dedisce stabilem perpetuoque mansuram, unde perennitas subsidi exspectari posset. Atqui istiusmodi perennitatem, nulla res praestare, nisi cum ubertatibus suis terra, potest ».

Neque est cur providentia reipublicae ad rem adducatur; est enim homo, quam respublica senior; « quocirca ius ille suum ad vitam corpusque tuendum habere natura ante debuit, quam civitas ulla coisset. Quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, frumentum dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in commune dicitur, non quod eius promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique adsignavit possidentam, industriae hominum institutisque populorum permissa privataram possessionum descriptione. Ceterum utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terra non cessat, quoniam nemo est mortalium, quin alatur eo, quod agri efferunt. Qui re parent, supplet opera; ita ut vere affirmari possit, universam comparandi virtus cultusque rationem in labore consistere, quem quis vel in fundo insumat suo, vel in arte aliqua operosa, cuius merces tandem non aliunde, quam a multiplici terrae fetu ducitur, cum eoque permutatur ».

**

Ac praeter eiusmodi iniustitiam nimis etiam appareat qualis, tum quum socialistica ratio vigeret, esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quamque dura et odiosa servitus civium consecutura. « Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtricationes et discordias patefieret: ademptis ingenio singulorum sollertiaque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent: eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas, aliud revera non esset, nisi omnium hominum aeque misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio ».

Quinimo adeo est Socialistarum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incommmodo.

« Sane, quod facile est previdere, ipsius operae quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se caussa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi querere privatoque iure possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industria suam alteri commodat, hanc ob causam commodat, ut res adipiscatur ad victimum cultumque necessarias: ideoque ex opera data ius verum perfectumque sibi querit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parsimoniae sua, quo tutior esse custodia posset, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induita speciem: proptereaque coemptus sic opifici fundus tam est in eius potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre Socialistae ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiares utilitatumque sibi comparandarum spes et facultate despoliant ».

**

Haec divinae et humanae sapientiae lumen illud; in quod utinam populi, tamquam in pharum veritate micantem, oculos animumque tandem aliquando convertant!

ROMANUS

*Vive sine invidia mollesque inglorius anno
Exige amicitias, et tibi iunge pares.*

OVID., Trist.

Memoria quinquagesimi anniversarii a Concilio Oecumenico Vaticano inito

Sollemni die Immaculatae Conceptionis B. M. V. quam mox, Deo dante, celebravimus, quinquagesimus expletus est annus, ex quo inchoatum est Vaticanum Concilium Oecumenicum, quod ultimum, nec clausum, fuit Conciliorum generalium.

De quorum celebratione ratio gravissima quidem est, bonum scilicet publicum religiosae civilisque Societatis. Quam rationem equidem constat meminisse Summos Pontifices ea indicentes, velut legimus in eorum Bullis. Paulus III (ut de aliis taceamus) Concilium Tridentinum annuntians,¹ ita scribit: « Igitur in tanta haeresum, dissensionum, bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, quum essemus ad moderandam et gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum conieciimus in Domino cogitatus nostros, ut ipse nos nutritret, animumque nostrum firmate et labore, mentem consilio sapientiae instrueret, deinde animo repetentes maiores nostros, sapientia admirabili et sanctitate praeditos, saepe in summis Christianae Reipublicae periculis remedium optimum, atque opportunissimum, oecumenica Concilia, et Episcoporum generales conventus adhibuisse, ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adiecimus... ».

Et Pius PP. IX, pro Concilio de quo agimus,² praemittens, quod: « Neque omiserunt ipsi Pontifices, ubi opportunum existimarunt, in gravissimis praesertim temporum perturbationibus, ac sanctissimae nostrae religionis civilisque societate

¹ Bulla *Initio nostri huius Pontificatus*, d. xi Kal. Junias a. MDXLII.

² Litt. Apost. *Aeterni Patris*, d. iii kal. Iulias a. MDCCCLXVIII.

tatis calamitatibus generalia convocare Concilia», revocat deinde quam gravissime « horribili tempestate nunc iactetur Ecclesia, et quibus quantisque malis civilis ipsa affligatur societas...»; quamvis nunquam « pro gravissimi officii debito » destiterit Sanctae Ecclesiae causam defendere, iustitiae veritatisque iura propugnare, errores damnare, impietatis sectas prescribere ac « universi dominici gregis saluti advigilare et consulere... Verum, ait, illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, opportunum propterea esse existimavimus, in generale Concilium, quod iamdiu Nostris erat in votis, cogere omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites...».

Specialis ratio erat, tempore Pauli III, haereses damnandi Novatorum sectae, duce apostata Luthero; aeo autem nostro, seu Pii IX, rationalistarum errores.

Pius autem IX de suo convocandi generalis Concilii desiderio iam verba fecerat in Allocutione, quam habuit in Consistorio d. 26 Iunii 1867, coram plus quam quingentis Episcopis, qui vel ex dissitis regionibus Romam venerant ad XVIII centenariam sollemnitatem Apostolorum Principum celebrandam.¹ Quo habito nuntio, Episcopi, Kalendis Iuliis in sequentibus, Orationem, communi plausu et ab omnibus subscriptam, dederunt, qua, inter alia, Summo Pontifici proponunt ut futurum Concilium sub Immaculatae Deiparae Virginis patrocinio et tutela ponatur. De qua propositione sibi Ipsi complacuisse se declarat Pius, responditque: « Et gaudemus omnino praevertisse vos hac in re propositum iamdiu a Nobis conceptum commendandi sacrum hunc coetum eius patrocinio, cuius pedi a rerum exordio serpentis caput subiectum fuit, quaeque deinde

¹ « Iamdiu enim animo agitavimus... ubi primum optata Nobis opportunitas aderit... ut sacram oecumenicam et generale omnium Episcoporum catholicorum Orbis habeamus Concilium ».

universas haereses sola interemit. Satisfacturi propterea communi desiderio iam nunc nunciamus, futurum quandocumque Concilium, sub auspiciis Deiparae Virginis ab omni labe immunis esse constituentum, et eo aperiendum die, quo insignis huius privilegii ipsi collati memoria recolitur ». Quod et mandavit fieri in Litteris Apostolicis de inductione Concilii, ubi edxit: « Oecumenicum et generale Concilium in hac alma urbe Nostra Roma futuro anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono in Basilica Vaticana habendum, ac octava die mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacra incipiendum, prosequendum, ac Domino adiuvante, ad ipsius gloriam, ad universi christiani populi salutem absolvendum et perficiendum, hisce Litteris indicimus, annuntiamus, convocamus, et statuimus ».

Referunt Chronica, iam a postremis mensis Novembris diebus almam Urbem ob concursum Episcoporum, etiam ex maxime longinquis regionibus advenientium et aliorum multorum advenarum generalis Concilii occasione huc confluentium, laetitiam peculiarem prae se tulisse: quem laetum adspectum, dicunt, Roma habuerat et viderunt Romani die 8 Decembris 1854, ob Dogmaticam definitionem Immaculatae B. Mariae Virginis Conceptionis, mense Iunio 1862 ob sollemnem Sanctorum canonizationem, atque mense Iunio 1867 ob centenaria sollemnia in honorem Apostolorum Principum peracta. Et quidem, quamvis non serenum vultum caelum ostendisset, sed nimiam pluviam demitteret illa die 8 Decembris 1869, SS. Patriarchalis Vaticana Basilica a diluculo ferme plena fidelium erat.

Adstiterunt in illa prima Concilii Sessione quadraginta septem Patres Cardinales, nempe quatuor ex Ordine Episcoporum, triginta sex ex Ordine Presbyterorum et septem ex Diaconorum Ordine; nec non et (diversi Ritus) novem Patriar-

chae, septem Primates, centum et septemdecim (117) Archiepiscopi, quadringenti octoginta (480) Episcopi, quinque Abbates Nullius Dioecesis, novem Abbates generales Ordinum Monasticorum et viginti quinque (25) Moderatores generales Congregationum et Ordinum Religiosorum. Aberant Patriarchae et Episcopi cum Ecclesia Catholica communionem non habentes, seu Graeci schismatici, licet invitati fuissent a Summo Pontifice per Litteras ad eos missas d. 8 Septembris 1868, sicut ad Concilium Lugdunense II (anno 1274) eos invitaverat Gregorius PP. X, et ad Concilium Florentinum pro unione Ecclesiae Graecae cum Latina (1438-41) Eugenius PP. IV. Ex Episcopis graeco-schismaticis nonnulli ad Concilium venissent, sed exemplum coacti sunt sequi eorum Patriarchae, qui ne benevolas quidem Pii IX invitationes accipere voluit, falsis adductis rationibus.

Sicut Caeremoniale praescribit, initium Concilii celebrationis datum est per Sacrosanctum Missae Sacrificium, quod litavit Emissus Card. Constantinus Patrizi, Sacri Cardinalium Conlegii alter a Decano. Post Missam, orationem latinam legit R. P. D. Aloisius Puecher-Passavalli, Archiepiscopus tit. Iconii atque Basiliacae Vaticanae Vicarius. Deinde Pius IX apostolicam benedictionem impertivit, et postea Ei omnes Patres Concilii obedientiae actum praestiterunt. Presbyterum assistentem egit Emissus Card. De Angelis, Diaconum ministrantem Emissus Card. Borromeo, Diaconos assistentes Emissi Cardinales Antonelli et Mertel, ac Subdiaconum Apostolicum R. P. D. Isoard S. R. Rotaे Tribunalis Auditor. Princeps Solio Pontificio assistens fuit Excmissus D. Philippus Orsini de Roccagorga. Et specialibus insiderunt locis Marchio Cavalletti, Urbis Senator, cum Conservatoribus octo, atque insuper Domina Elisabeth Austriae Imperatrix, Franciscus II Utriusque Siciliae

Rex, Regina Status Würtembergensis, Leopoldus, Magnus Etruriae Dux, eiusque uxor, aliquie Principes.

Vaticanum Concilium oecumenicum, tam solemniter inchoatum die 8 Decembris 1869, nondum, ut diximus, clausum fuit, quum Pius IX illud suspenderit per Litteras Apostolicas *Postquam Dei munere*, d. d. xx Octobris 1870 « usque ad aliud opportunum et commodius tempus » per Sanctam Sedem declarandum. Quatuor habuit Sessiones, nempe: I. die 8 Decembris 1869; II. die 6 Ianuarii 1870; III, die 24 Aprilis, et IV. die 18 Iunii 1870. In III. Sessione edita fuit Constitutio dogmatica *De Fide Catholica*, quae incipit *Dei Filius*; et quatuor constat capitibus: caput I inscribitur: *De Deo rerum omnium Creatore*; cap. II, *De Revelatione*; cap. III, *De Fide*; cap. IV, *De Fide et Ratione*. In Sessione IV. data fuit Constitutio Dogmatica I: *De Ecclesia Christi*; et sancitum seu definitum fuit; cap. I, *De Apostolici Primatus in B. Petro Institutione*; cap. II, *De perpetuitate Primatus B. Petri in Romanis Pontificibus*; cap. III, *De vi et ratione Primatus Romanorum Pontificis*, cap. IV, *De Romani Pontificis infallibili Magisterio*. Fremuerunt ira Christi Vicarii hostes et maledicta evomuerunt contra Concilium; sed vera Fides solidata evasit contra rationalistarum errores.

Utique et alia bona allaturum esset in Ecclesiam universam et civilem Societatem Concilium, si vires suas, iuxta finem a Pio PP. IX sibi propositum,¹ explicare

¹ « Perpendere et statuere quae hisce praesertim asperrimis temporibus maiorem Dei gloriam et Fidei integratatem, divinique cultus decorem, sempiternamque hominum salutem, et utriusque Cleri disciplinam, eiusque salutarem solidamque culturam atque ecclesiasticarum legum observantiam, morumque emendationem et christianam iuuentutis institutionem et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt ». (Litt. Apost. *Acterni Patris*).

valuisset. Deus O. M., qui nunquam Ecclesiam suam deserit, dabit, si opus fuerit, tempus et commodum pro Concilio Vaticani continuatione et perfectione. Interim tamen mentem Summorum Pontificum Leonis XIII, Pii X et Benedicti XV, Pii PP. IX successorum, Ipse Deus illustravit, et ea quae per Concilium edicenda fuissent, (si non in totum) ipsi Pontifices, suis Constitutionibus et Ordinationibus, ac novissime Codice Iuris Canonici editione, praestiterunt.

JOSEPHUS FAMELI.



Franciscus Tranquillinus Molledo

III.¹

Sed Francisci Tranquillini Molledo animi dotes quas enucleavimus, fortitudo ac suavitas, illic etiam apparent, ubi recte mores castigat; scilicet in satyris, quas multas scripsit: percudit quidem, imo subtilius percudit, nunquam vero sine aliqua humanitate. Ne in epigrammatibus immoremur, super centum numero, quorum specimina lectores nostri non semel in hisce paginis legerunt, de sermonibus dicemus, quae Horatianum flamen profecto redolent.

Primus est *de Homine et Simia*, in quo Darwinianum commentum tractatur; cui initium est loci elegantissima pictura, illius modi, quem alias sumus admirati:

In patriam facturus iter septembribus horis, Hippolyte, ascendo currum, notumque subire Vestibulum festino, datis ubi tessera nummis Exigitur. Claudunt carpenta, petorita, plaustra Circumfusa vias: « Flecte hinc, cito verbera, quae so, Vocibus adde auriga, vola, compelle quod obstat ». Heu! frustra inclamo. Iamque atria longa tenebam, Quum subito, valvis patefactis, eminus hausit Auribus ingentem strepitum, quem reddit ahena Machina, conceptos fremitu indignata vapores. Protinus accuro: supplex admittier oro, Indignaque morae longos vitare labores.

¹ Cfr. num. sup.

Exiguis sed enim clathris munita fenestra, Qua datur e prelio poscenti chartula, raptim Obditur, ex adytis quam vox haec fertur ad aures: « Longa trahenda mora est, media dum parte diei Praeterita, veniat moles compulsa vapore Altera ». Quid faciam? se se iam stipat apertis Turba viatorum foribus discedere iussa. Ergo, acres inter quamvis numerandus et ipse, Auricolas demitto: gravet sino pondere lumbos Mantica, non semel effrenae convicta linguae Saeva minis addens, puerum ni forte caterva Abscedat petulans. Quo me sudore madentem Dicit iter, nunc sisto vicem miseratus iniquam, Nunc aulam solus vacuam stomachosus oberro.

Inter morandum, duo Britanni accedunt:

Pastillos longaevus edit, dum impexa movetur Barba manu, incedit iuvenis sat factus ad unguem.

Sistunt adversi; noster diurna legit ac prope totus in illis est. Brito senior, qui verba cum eo intexere cupit, ab eo quaerit quid novi invenerit, sese enim nil alii cuius momenti reperisse. Et noster:

Hoc ergo - digitoque noto - te forte morari Posse reor: legesis, scriptor quanam arte, Britannus Natus et ipse, novum indignatus dogma refellat, Simia quo nostrae veteris primordia formae Asseritur.

Nunquam dixisset!... Ast alea iacta erat; disputatio instituta; in qua noster primum contendit simiam, ut nunc est, omnino ab homine discrepare. Difficultibus occurrit senior adversarius, fore sperans, auctore Huxley, ut certius aliquid effodienda tellus afferat, sicut nuper Calvam apud Germanos repertam. Oh! equidem - noster adnotat -

meliora loquuntur Qui nomen calvae veteri fecere repertae! Perditum enim genus illa nota: sed multa propago, Ut video, insipiens, genus indeleibile, restat.

Rem deinde altius repetens importunus Britannus doctrinam exponit, auctore Haeckel, de prima communi hominum ac bestiarum specie; quam pariter noster ludo vertit, in aedes pergens ientaculis sumendis assignatus: stomachum enim lenire latrantem tempus aderat. Sed alter:

Proxima me sequitur communia tecta potenter, Quis dedit arabica iam tritum potio nomen Facta faba. Verum non unquam huc segnis et exlex

Ut persaepe alio, nebulonum convenit ordo, Qui pateris modo, propulsu modo fallere fumo Sollicitant curas, et quae per tecta, per urbem Continuo manent, tricas exquirere gaudent. Hic aggressus iter contra ieiunia quisque Solvere festinat. Quum ergo ientacula sumo, Et modicis quandoque scyphis uvesco, Britannus, Plurima qui raptim siccabat pocula: « Recite Otia ponamus: memini te stulta vocasse Dogmata quae teneo ». Repeto: « Nil verius ... ».

Sic disceptatio iterum instituitur: ille evincere certat quam similis sit nobis simia tum corpore, tum mente; noster primum refutat similitudinem corporis, lepidam fabellam quandam ad rem adiungens; postea quaestionem dirimit alteram de vi animi et moribus simiae attributis. Sed iam profectio proxima nunciatur: concurritur undique; et molestus adversarius a comite tandem trahitur, dum pallens, tremulaque loquutus

Voce: « Abeo non victus - ait - non arma repono ».

Noster etiam illico surgit;

Aere dato quodcumque adsciscit avarus Caupo,

digreditur, novamque vividam scenam nostris oculis subiicit:

Quas liqui plurima sedes Turba viatorum complet: iam voce ministri Has illas repetunt urbes, quo machina praeceps Tendit iter reserantque fores: simul inde vocati Plausta legunt: « Da, quaeso, locum, bone: pulso [morantes,

Luctor in adversis. Tandem consisto, solitus

Nummis, obsignata viae mihi pignora poscens.

Unde mihi fustem? Huc etiam me furcifer ille

Persequitur: Quae plausta tibi? modo copia nobis

Sit simul ire, lego quaevi ». « Ego, prima: fenestrae,

Dum venias, incumbens usque morabor apertae ».

Aufugio: limen pueri obsedere maligni.

Venditat hic, vocem ingeminans, mihi crustula,

ofellas: Oenophorum hic profert aliis: monet ille legendam

Comis ephemericem: pueris, mirabile monstrum,

Accedit vetula, et lecto, munuscula, flores

Porrigit. Irata quandoque prece ocyus inde

Me rapio: percurro aulas, formidine captus

Hac quoque ne arripiat socium me Brito fugacem.

Quae prius egresso obveniunt mihi plaustra secunda,

Scando levis: medius sedeo stipatis utrinque,

Ora tegens. Mox signa fugae dant cornua, ahenea.

Insequitur stridor molis: prolabitur undans

Ante focus, celaresque trahit miro impete currus.

Omen sic Deus avertat, quo me improbus exin,

Ut se deceptum sensit, comitavit euntem!

Clauditur sermo nonnullis ad amicum monitis, ad quem satyram auctor misit; in his:

Tu tamen ista cave ne dones omnibus aequae Carmina, si quos posse putas novitate morari.

Novitatem vero latinis versibus tantum argumentum tractandi optime aggressus est ac perfecit Moltedus; qui rei gravitatem descriptionibus, suo more atque ingenio, splendidis coloribus illuminatis, opportune temperavit.

A philosophicis hisce argumentis ad litterarum Moltedi sermones progrediuntur, ut in *Novi sapientes*, ubi Platonem, Xenophonem, Vergilium, Horatium, Euclidem, Donatumque disputantes et querentes facit, quod

Ausoniae coetus iuvenis, petusque magistri Desipit omnino qui nunc sibi barbarus uni Arrogat et monitus aliis infundere et artem.

At civiles res saepius acerbiusque mordent. Ita in sermone *Proteus alter*, dramaticam profecto scenam reddere noster visus est, quum Pluto, Charon, Tertius, Umbræ, Caesar, Brutus ignotum quendam, furciferum, Stygem paludem furtim transire ausum, insectantur; in quem hanc sententiam Pluto profert:

Vincia, Charon, festina homini, mediaque palude Pone, ubi praeruptis scopulis patet insula tutta. Effugium si forte novum meditetur

Cui Charon:

Fuste caput remoque (virum iam nosco) dolabo. Me didicit timuitque furens, quum virga cerebrum Contudit, atque manu arreptus BIS MARCUS utraque.

Qua quidem lepida agnominatione satis intelligitur, in quem virum poëta tela sua intenderit.

Accipite nunc iuxta ipsum popularis regiminis munia et qualitates:¹

Haec ideo sapientia regi est, Consilis sociare suis, quos depurat ipse Saepe novas populus congressus libere ad urnas. Hinc ita lecta cohors hominum, qui regna ministrant, Ut, dum quisque vicem exercens sua providet, aequo Diversis populi studiis satis ordine fiat.

¹ In Sat. « Reges populares ».

*Haec bona largitum quis dignebat? Ipse
Testis ades, si vera loguar. Quicunque libido est
Incomitatus adit: caput olli invitus eunti
Nemo aperit: qui vult, sistit vel tendere pergit.
Instaurant procerum coetum suffragia plebis
Conveniuntque simul? Propere, praeante senatu,
Ingreditur sedes; recitat quae sponte legenda
Acceptit, grates referens, docilique tributa
Indicens plebi nova, libertate fruenti.
Excipit at plausu, ut mos est, haec verba corona:
Tum toto sibi gratiarum rex pectore, partes
Explorasse suas, recte mandata loquentem.
Exemplu abscedit laetus; sed caetera promptus
Ferre ultro quaecumque Viram reprobaverit agmen,
Vel nova protulerit.*

Atqui

*Qui regno imperiet scimus. Testantur honores,
Quis Equitum crevit sane numerabilis ordo,
Vilia ne fiant communia praemia vulgo.
Testantur quandoque dapes, quarum omnia passim
Nomina vulgariter subito per compita: quanam
El quoties animos recrearint vina: dapsne
Ostrea principium: fueritne acipenser, aperne:
Quo vitulæ fariae: quanam nova crusta: natansne
Asparagos inter perdix gratissima Gallis:
Quonam praeter stomachum pervellerit acri
Iure gelu: an Batavo fuerit rituue Britanno
Lactea spuma dehinc: an quea suavissima rerum
Parthenope donat, facie signata rotunda,
Sorbuerint concreta gelu post poma sodales*

At non minor Moltedo dicacitas *in Recentes Poplicolas*¹ impingitur; quorum alterum publici coetus ferendis legibus candidatum cum suis amoenissimis consiliis, ne se ipsum in aleam dedat, ab ipso in aulam ingressu comitatur:

*Tu vero quacumque velis consistere parte,
Cornua, si sapis, evita, mediumque sedile
Delige: nobilior locus hic, cupiasque videri,
Ut decet, heroum paucorum protinus unus.
Hinc alio propera, si quando sedilia caprae
Spissa premant oidae.*

Ita sede constituta,

*Munere macte novo: populi sacra iura tueri
Non tibi pol deeris, quamvis nil paene peritus
Iuris ades: plerumque vices facundia supplet.*

Cuius facundiae adhibendae lepide dat poëta Quinto suo monita; nostrae enim renovanda est gloria linguae,

¹ Sermo hic passim retractatus ab auctore ad certamen poëticum Hoeufftianum missus est an. MCMXV titulo « Civi monita rogandis legibus deputato », fuitque magna laude ornatus, et in nostris paginis editus mense Novembri MCMXVI.

*ut, qui iam ante iuuentam
Quid sit amor patriae recte docuere, quietis
Nunc rebus, nostræ doceant portenta loquela.*

Praebet item argumenta tractanda, quae populari legato favorem maxime sint conciliatura. Itaque

*si primus in Aula
Feminei vindex generis cupis ipse videri,
Accipe qui modus eventum tempusque secundet.
Quo mutiebre die fatum versabitur urna,
Quot noris forma pulcas, rebusque studentes
Rite novis, Aulam totidem adventare puellas
Coge; nec ante suam sortem miseratus acerbam
Incipiás, quam turba locum compleverit omnis.
Arrectis tua verba bibent sic auribus, ut nunc
Languidus ora notet pallor, nunc pectore ab imo
In fletum ducant voces. Hic, Quinte, memento
Lacrymulas dare saepe novas, hic moestus utramque
Tende manum, monstraque Aulae, suspira dicens,
Quos, sortem conquesta suam formosa colores
Ore det ista phalanx. Quis, quaeso, talia spectans
Tecum certet adhuc? Atqui si tanta cupido est
Femineis nunc iura virum assignare catervis,
Non alio vinces pacto. Certabitur olim,
Crede mihi; et tempus veniet, quum compede rupta
Vobiscum ipsa feral suffragia femina, vulgo
Ius eadem dicat; subsellia, rostra frequenter.*

Atqui hoc tempus venit utique; venit quum Moltedo iam aetate ingravesceret, non equidem animo; nam et sermonem condidit iucundissimum - (fuitque, quod sciam, ultimus) - *in Feminas ius suffragii ambientes*. Et ipsae igitur aulae

*Vestibulum confestim adeunt: ibi turba virorum,
Qui, si communis sors prospera cessit ab urna,
Conveniunt Romae, patriae tutela salutis,
Expectare novas, populi aequo iure patronas,
Gaudet, gratatur sociis, comitatur euntis.*

Et plausum muliebris manipulus
*Excipit ingrediens, iterumque iterumque salutant,
Laetitiaque fremunt iuvenes, fremit ipsa senectus.*

Atque ita, ut implacidus Praeses, tintinabula pulsans, silentium graviter coetui imponere, atque in mentem praestandum ante omnia iuramentum esse, revocare cogatur. Tum

*Curia conticuit; veniunt recitantque puellæ
Verba, quibus constat iurandi formula iuris.
Mox abit, electura sibi nova turba sodalis
Sedes heroas inter iuvenesque senesque.
Incassum properat: inito certamine laeto
Praeda puellarum iuvenilia pectora vincit,
Prolectatque senes. Dextram hic celer, ille lacertum
Porrigit, alliciens quae uni sibi proxima sistat.*

*Huc illuc igitur trepidas agitantque premuntque,
Quo citius vacuas possint contingere sedes.
Hic labor: impediunt gressus extendere vestes
Contractae nimium. Maribus sunt risus; obortis
Contra aliae lacrymis capitum tegumenta tenuunt
Pessum humi protrita: dolent redimicula, inaures
Amissas aliae, plenam nonnulla crumenam.*

Quae vero magno sine pretio parta fuere libertatis praemia?... Mittant igitur queri, quietae assideant, atque discant quae in aula praebeat arma loqua: « patres enim patriae » de rebus maximi momenti disserunt; de bello scilicet qui in septentrionali Africa geritur. Brevi tamen,

*Feminae et incipiunt iam fastidire loquentem.
Est quae fessa placide dormitat; ...*

maxima vero pars inurbane blaterat: frustra strident tinnula praesidis aera, novos cupidi sedare tumultus. ... Appulæ mulierculæ refert magis, ideoque elata voce clamat, ut sui ditentur aqua campi; Messanae interest ut diruta iam plures annos a terrae motu patria integra resurgat. Insubresque Venetaeque Italiae nondum redemptae libertatem tum vindicant. Diespiter!

*Haec ubi dicta sonant, tonitru haud secus aetheris axis,
Protinus intonuere imae, sedesque supernae.
Acrius inclamat, spectaculum admissa, caterva
Laude canens magna, fatue generosa, locutas.
Pallet turba senum: cathedra stomachosus abire
Festinal praeses, sensibus comitantibus ultra.
Femineis inimica fuit sors ausibus. Omnes
Se glomerant aula in media, furtimque puellæ
Per lacrymas tacitae effundunt e pectora bitem.
Frustra moerentes iuvenum pars magna superstes
Circumfusa tenet: miseris remeare necesse est
Atria, quae nuper facie subiere superba.*

Itaque haud profecto, ut *poplicolam recentem* noster monebat, - si quando post habito populo, is proceres defenderit odioque aspera moverit ut aula deinceps excluderetur -:

*Mitte queri: Romae reducem penitusque beatum
In sua te excipiet subsellia, Quinte, Senatus,
popularem oratricem sub sermonis finem
ad maiora salibus suis invitat; sed ut*

*... ducat acum, aut dextra data pensa trahente,
Laeta domi cantet, patria contenta quiete.*

An igitur Moltedo retrogradus fuit et flebilis laudator temporis acti? Absit; clareque indigitat carmen quod inscripsit: *Amico monita novis rebus adversanti*,¹ ubi amicum sine fuso et fallaciis hortatur:

*...res ergo ferre novatas,
Fabula ni fieri cupias, assuesc;*

at animi innocentem quamdam ostentationem, qua natura praeeditus erat, eam apparere atque exstare in operibus suis malebat. In ipso quotidiano colloquio contraria semper argute investigabat, quae suavitate aspersa elegantique iocandi genere quemque, vel morosum, facile hilarabant. Hanc itaque vitae vivendae consuetudinem suam, quam severissimis moribus summaque pietate coniunxit, in sua scripta trasfudit; de quibus arbiter ille latinarum litterarum Thomas Vallaurius an. MDCCCLXXXII hoc protulit iudicium; ae quum profecto, quum ipsum integrum absolutumque etiam nunc repetere nobis detur: « In satyris quidem plautinam, pene dixerim, dialogi festivitatem notabis; in elegiacis praesertim et lyricis affectus varios graphice expressos; in epigrammati plurimum salis et fellis, nec minus candoris invenies. In universum aestimanti dives ingenii vena in poëta nostro occurrit, natus, non adscitus orationis color, et profluens quaedam in scribendo celeritas, quum res novae, aut veteribus indictae, latine sunt significandae. Hoc autem, mea quidem sententia, maxime laudandus est noster, quod non integros versus, non ἡμιστίχια a superioribus poëtis improbo labore et serviliter mutuatus, aptas voces et locutiones ex penu suo sic depromit, ut suus ubique videatur... ».

Neapoli, quo iam ab anno MCMXI redierat, Franciscus Tranquillinus Moltedo decessit d. XIII mens. Iunii huius anni MCMXIX.

I. F.

¹ Et hoc in Amstelodamensi certamine poëtico Hoeufftiano an. MCMIX fuit magna laude ornatum.

ARCHÆOLOGICÆ RES

Christi nati repraesentatio
in ingenuis veterum christianorum artibus.

Constat inter omnes, priscos Christianos, quippe qui suam suorumque aeternam salutem tamquam summum et unicum studium constanter pro se haberent, Christi redemptoris vitam et cogitatione assidue revolvisse, et in epitaphiis commemorasse, et in monumentis effinxisse. Harum igitur repraesentationum quae ad Christi venturi vaticinia spectant, quaeque Christum natum pastoribusque Magis que revelatum praeseferunt, data temporis opportunitate, h̄ic hodie breviter recolere voluimus.

Ad prophetas quod attinet qui Christum testati sint, duo imprimis apud Christiana hypogea depicti sunt, Balaam et Michaeas. Balaam imagines tres, primæ saec. IV parti tribuendae, in SS. Petri et Marcellini coemeterio inventae fuere, stellam illam indicantes, quam auctores omnes pro Christi venturi nuntio interpretati sunt; Michaeæ autem figura, ad secundam saeculi ipsius partem pertinens, Bethleem designat, ut locum ubi Iesus in mortalem vitam oritur. Sed antiquissima repraesentatio est vaticinii Isaiae in vetustissima Priscillæ coemeterii regione inventa, quaeque initio saeculi II adiudicata est. De ea multa antiquitatis christianaæ doctores scripserunt, eoque magis quod non unus propheta, sed et Maria cum puerò Iesu ibidem descripti fuerint; pretium itaque est operis ut et nos in argumento aliquantis per insistamus.

Maria igitur, sedens, ante pectus Christum infantem nudumque gerit, qui caput retro vertit. Ei, imberbis et philosophorum pallio induitus, vir adstat, dexteræ dígo stellam in altis delineatam indicans, sinistra autem volumen tenens. Wilpert

in viri figura primus Isaiam vidit, qui et lucem supra Ierusalem orituram, et virginem quae concipiet et pariet filium, cuius vocabitur nomen Emmanuel,¹ vaticinatus est. Fuerunt vero qui, quum in picturis Magi Iesum adorantes ter inveniantur simul cum stella, de Magorum uno agi opinionem enuntiarunt. Atvero, ut alia omittamus, profecto nec figura vestis, nec gestus cum hac interpretatione congruant. Illorum solummodo sententia forsitan est perpendenda, qui h̄ic de propheta agi haud dubie confessi, Michaelam potius, quam Isaiam Mariae adstare autument.

Quidquid fuerit, certe eo magis quoque huiusmodi repraesentatio multi momenti facienda est, quod in eadem compositione duplex factum recolatur; et prophetæ nuntiatio et ortus Christi, quasi eiusdem temporis ambo essent; quod quidem deinceps passim inductum est, quemadmodum et in aliis picturis, anaglyptis, titulis videtur licet.

* *

Pastores stantes ac stellam intuentes, signum nempe Christi nati, in hypogeo SS. Petri et Marcellini conspicimus; ac memoratu dignum est, stellam ipsam in Christi monogrammatis formam dispositam fuisse. Pluries, ex adverso, Magi ante stellam praebentur, iisque laetitia veluti gestientes; quorum qui medius est interdum genibus est flexus. Praesepe, contra, semel tantum in coemeterialibus cernitur picturis, nempe in S. Sebastiani catacumba; quamquam vix cernitur, quum pictura ab homine imperito, quandam heu! lota fuerit. Christi caput nimbo cinctum satis eius aetatem prodit; sed serioris aetatis quoque indicium in eo habetur, quod bos et asinus additi fuerint. Haud

¹ ISAI., VII, 4.

dubie - Scaglia adnotat¹ - id Pseudomathæi evangelium sapit, in quo Maria, tertio post Domini ortum die, e specu ubi pepererat exisse dicitur, ac in quodam stabulo inter bovem asinumque Christum infantem reposuisse; idque ut Isaiae completeretur prophetia: « Cognovit bos possessorum suum et asinus praesepe domini sui ». Animalia enim, iuxta idem apocryphum, reverenter et assidue Iesum adorant, nec non ibi Ioseph ac Maria tres morati sunt dies. Licet fides valde exigua eiusmodi commenticiis scriptis sit adhibenda; nihilominus mentio de duobus animalibus non prorsus videtur spernenda. Nam quandam Habacuc prophetiam ad illud alludere quidam putant, scilicet: « In medio duorum animalium innotesceris »;² ac Natalis Domini liturgia idem redoleat; Christianus vero poëta Prudentius, saeculo exeunte IV, ita cecinit:

Aeterne rex, cunabula
Populis per saeculum sacra
Multis et ipsis credita,
Adorat haec brutum pecus.³

Et vetustissima huiusmodi repraesentationem sarcophagi quoddam fragmentum praebet, cuius aetatem inscriptio (PLACIDO ET ROMVLO Co.) patefacit, nempe an. CCCXLIII.

* *

Si vero pastores Iudaicae plebis tamquam primitiae ad praesepe adstiterunt, Magorum adventu primum fuit a gentibus exhibitum Christo publicum ac sollemne obsequium. Atqui tredecim restant adhuc huius mysterii repraesentationes in coemeteriorum Christianorum picturis,⁴ qua-

¹ Not. arch. chr., vol. II, p. II, c. IV.² III, 2. Verum haec verba tantummodo in Septuaginta versione leguntur; in textu Hebraico et in lectione Vulgata omnino desiderantur.³ Cathemerimon, XI, 78; P. L., t. LIX, 896.⁴ In una tantam, eademque in coemeterio SS. Petri et Marcellini, cum Magis pastores adsunt.

rum antiquissima in Priscillæ coemeterio apparet, aequæ ad initium saecundi saeculi referenda. Ipsa autem, ut clarissimus scripsit Wilpert,¹ ab omnibus aliis ideo differt, quod Maria in subsellio sedeat, nempe in sedili sine dorso, et Magi dona nudis manibus porrigant; in ceteris quippe Maria in cathedra sedet, ac dona super discis offeruntur a Magis. Item, Virgo in antiquioribus picturis tunica discincta vestita est; post vero saeculum IV, dalmatica latis manicis praedita. Denique Magi semper ut Orientales viri exhibitur, bracis videlicet ac Phrygio pileo muniti; necnon plerumque, iuxta antiquissimam traditionem, sunt tres numero. Quod si duo tantum vel quattuor Magi aliquando inveniantur, spatii vel, ut dicunt, symmetriae ratione id factum est.

Quod quidem ut omnibus sit persuasum, sufficit advertere, semper in anaglyptis hoc usque inventis, in quibus Magorum adoratio redditur, - sunt autem numero prope septuaginta, - tres Magos semper fuisse effectos; in picturis, contra, praeter eam quam diximus symmetriae rationem, exemplorum paucitas in quibus duo aut quattuor Magi cernuntur tunc exceptionem novitatemque adesse quandam satis ostendit; non quidem dubium ingerit de ternario Magorum numero.

De Maria denique cum Christo puero repraesentationes aliae exstant; quas tamen et quia cum hodierno argomento necessario haud coniunctae, et quod in longum nimis hasce notas traherent, ad alium numerum, si placuerit, delegamus.

**

¹ Le pitture delle Catacombe Romane.*Regia, crede mihi, mens est succurrere lapsis.
Convenit e tanto, quantus es ipse, viro.*

OVID., De Ponto, II, 9.

COMMUNIA VITAE

De valetudine percontatio

Morbi - Medicamenta.¹Pomphi (Urticariae).²Scabies. - Psora. - Lepra (Elephantiasis).³Furunculus. - Phyma.⁴

Adustio.

Astrobolesmus (Congelatio, Sideratio). - Gangraena (Spacēlus).⁵ - Putredine vitior (corrumptor, tabesco).Ulcus (Ulcusculum). - Nomae.⁶ - Phagedaena.⁷

Plagis (ulceribus) sum concisus (vulneratus, confectus). - Chronicum (Fistulosum) ulcus est, ut sanari non possit (ut salus desperanda videatur - ut spes salutis nulla sit - ut medicinae locus non sit). - Lethalis plaga. - Mortiferum (lethiferum) ulcus est.

Ita factus sum ulcerosus, ut membra corporis mei pene omnia fuerint fasciis obducenda (obliganda, alliganda).

Ulcus ad vivam carnem adducitur (ad vivum corpus adigitur).

Ozaena (Plaga putrida). - Ulcus in pus (saniem) solvitur (resolvitur) - Ex ulcere pus fertur (it, manat, fluit, effluit, erumpit).

Ulcus in crustam cogitur (concrescit). -

¹ Cfr. num. sup.² Papulae latae, crocei plerumque aut rosei coloris, quasi ex urticæ punctionibus; unde *urticariae* nomen.³ *Scabies cutis* est summae asperitas cum furfuris squamis superficiem depascens; *psora* fera est scabies; *lepra* quum morbus profundius artus depascitur, et per circulum.⁴ *Tuberculum*, quod cito augetur ad suppurationem, forunculi simile, sed rotundius ac planius.⁵ Quum caro ex sideratione moritur atque marescit.⁶ *Ulcera*, quae carnem sanam depascendo serpent.⁷ *Ulceris*, et etiam cancri, genus, cutem et subiectam carnem exedens et continuo depascens cum faetore.

Ulcus crustulam sibi inducit (crusta obducitur). - Ulcus ad cicatricem adducitur (deducitur, provehitur). - Ulceri cicatrix accersitur (creatur, citatur). - Ulceri caro cietur (inducitur, movetur).

Laesio (laesura), *Trauma*¹ corpus meum offendit.

Sugillatio.² - Intertrigo.³ - Vulnus.

Vulnus punctum inlatum.⁴ - Vulnus caesim inlatum.⁵

Caesim et ex alto plaga meo capiti inflicta est. - Caesim caput meum est percussum. - Oblonga meo capiti plaga est imposita (inficta, incussa, inducta). - Inflicto caesim ense, caput mihi luculento vulnera est concisum (dissectum, laniatum). - Luculentam plagam capiti inflictam accepi. - Graviter mihi caput ensis percussit. - Ense in caput meum impacto graviter sum vulneratus.

Adversum vulnus (adverso pectore vulnus) unum luculentum accepi (tuli), et duo aversa (et duplex averso corpore).

Sum vulneratus (convulneratus, laesus, sauciatus, vulnere affectus, graviter percussus). - Mihi vulnus est impressum (infictum, impositum, ingestum, iniectum, factum, datum, inflictum).

Iugulum meum petitum est. - Lethaliter (mortaliter, mortifere) sum sauciatus. - Mihi plaga mortifera est imposta.

Dolor ex vulnere graviter me pungit. - Dolore ex plaga ardeo (Dolor vulneris me urit).

Vulnus coit (coalescit, conglutinatur). - Vulnus cicatricem obducit (Vulneri cicatrix obducitur)

¹ *Trauma* est solutio continuitatis in carne, non ex distensione, sed ruptura proveniens.² Ex ictu ictus (Italice: contusione). Si multus ille et in pus conversus *hypopyon* dicitur.³ Parva excorticatio (Italice: scorticatura).⁴ Italice: *Ferita di punta*.⁵ Italice: *Ferita di taglio*.

Membrorum distortio. - Luxatio. - Membrorum fractura.

Cerebri commotio (concussio).

Malorum Ilias me possidet.

Tumor (Panus, Phypella). - Oedema.¹

Super humerum panus mihi est natus (exortus). - In faucibus (Vultu, Ventre, etc.) tumor excrevit (emicuit, erupit).

Panus digestus suppurat. (In pus [saniem] diffliuit).

Tumor foras exhalans (per poros detumescens). - Tumor discutitur. - Coactus et concretus in pano humor discutitur (digeritur; solvit, diffliatur, dissipatur, evanescit).

Bronchocele (Gutturis tumor). - Cancer (Carcinoma). - Carcinodes.²

Hydropsis (Aqua intercus-ūtis). - Anasarca (Catasarca, Hyposarcidium, Episarcidium).³

Hydropicus (Hydericus, Utricularius) sum factus.

Ramex (Hernia, Enterocèle, Epiplocele).

Lumbago.⁴

Cirsus (Varices).⁵

Haemorrhagia. - Haemorrhoides (Haemorrhoea).⁶

Vomitus. - Vomitu stomachum reddo (Vomitione stomachum egero). - Crudum cibum evomo (ore reddo). - Vomitionem inhibere (cohibere, sistere) nequeo.

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

¹ Tumor, praeter naturam, non dolens.² Morbus naturam cancri imitans serpendo, cancer similis.³ Hydropsis species, ita dicta quod per carnem ille humor fluat.⁴ Vitum et debilitas lumborum.⁵ Venae dilatatae, latiores in coxis et cruribus. Hinc varicosus, qui tumidiiores habet venas.⁶ Fluxus sanguinis in qualibet parte corporis abundans; sed haemorrhoides sive haemorrhoea proprie dicitur distillatio et delatio sanguinis per dissolutionem paullatim factam.

ANNALES

Concilium Parisiense de pace.

Concilii Parisiensis opera in eo unice constitisse per Novembrem mensem apparuit, ut de foederis clausulis cum Bulgaria et Hungaria disceptationem haberet: de certis argumentis nihil constitutum, atque praesertim circa Adriaticam, quam nuncupant, quaestionem. Hanc ad dirimendam, Italicus legatus compositionem novam proposuit, cui Angli et Galli suffragia sua contulerunt; negavit vero Wilsonus. Cuius exspectationem vicissim, ut ratum videret Versaliense a se compositum foedus, decepit civitatis suae Senatus, qui cautiones nonnullas in eo interposuit tum de Monroe doctrina integre servanda, tum de nullo mandato a Praeside unquam apud exterios exercendo, nisi ex popularis coetus Senatusque declarata ad rem voluntate. Quamquam, si absque huiusmodi cautionibus foedus illud non confirmatum est, ne cum iis quidem est iussum, deficientibus, quae necesse essent, duabus tertiiis suffragiorum partibus. Itaque exinde quoque dilatae res sunt, dilataque simul ordinis apud populos universi orbis fere universos restitutio, profecto cum omnium iactura atque discrimine. Nonne enim hinc maxime repetenda sunt et inquietus ubique omnium animus, et operariorum passim ab operibus desertiones, quae Angliam ipsam, ipsamque Septentrionalem Americam vehementer nuper turbarunt? Quibus in civitatibus, quum a carbonis fossoribus latissime peractae fuerint, facile cuique coniicere licebit quid opera et artificia, quid commercia et mercatura de trimenti patientur. Ad maiorem igitur omnium rerum caritatem et inopiam, ad ipsam famem facile deveniemus, qua heu! acerbissime centralis Europae gentes premuntur. Quarum, et praesertim puerorum,

necessitatibus ad subveniendum, iterum refusit **Benedicti PP. XV, amantissimi patris dilectio ac sollicitudo;** qui per encyclicas litteras stipem colligendam in diem xxviii huius mensis Decembris, Sanctorum Innocentium memoriae sacratam, misericordi animo edixit.

**

Russicum civile bellum.

Incertae semper et inter se discrepantes nuntii ex Russia afferuntur. Dum enim dictitant, a Denikino hinc, indeque a Polonis in Volinia et ad Dvina flumen, praeterque hoc flumen a Lectoribus et in Curlandia Bolscevicos esse superatos, hi mutuo feruntur, Omsk urbe potiti, Iudenitch in fugam vertisse, Aestonesque pariter ad receptum coegisse.

**

Hisce minime tranquillis signis, quibus addi possunt Socialistarum in Belgica et in Italia ex popularibus comitiis victoriae, clauditur annus MCMXIX, qui faustis tot auspiciis incepérat!

Kalendis Decembris MCMXIX.

POPULICOLA.

ROMA SACRA

**Benedicti PP. XV epistola encyclica ad subveniendum pueris, Europae prae-
sertim mediae regionum, quos premit
acrius earum rerum indigentia, quae
ad vitam necessariae sunt.**

Paterno iam diu animo ominabamur atque sperabamus fore, ut, restincto tandem immani bello suscitatoque christianaे caritatis spiritu, quae fame et inedia, Europae prae-
sertim mediae regiones, conficiebantur, illae ad melior-
rem condicionem, concordi bonorum omnium

opera et conatu, paullatim adducerentur. At vero exspectationem Nostram eventus non omnem explevit; undique enim affertur, frequentissimos eos populos, quos diximus, tanta ciborum vestiumque laborare adhuc inopia, quantum mente effingere vix liceat. Miserrime perditur interea ac profligatur debiliorum corporum valetudo, atque in primis puerorum; quorum calamitate eo vehementius afficimur, quod ipsi non modo ignari insontesque sunt internecivi certaminis, quo terrarum orbem paene totum cruentari vidimus, sed futuri praeterea sunt novarum auctores stirpium, quae nativam referent germinis infirmitatem.

Sed tamen ex hisce angoribus ac molestiis recreati aliquando sumus, quum nuntiatum Nobis est, homines recte animatos in societas coivisse, eo consilio, ut *pueros conservarent.* Egregium sane propositum, Venerabiles Fratres, ut par erat, probare atque auctoritate Nostra fulcire non dubitavimus; congruebat enim cum praecipuis benignitatis officiis illi debitum aetatulae, quae et Christo Redemptori carissima et minus habet ad tolerandum et resistendum facultatis. Ceterum, in simili causa id ipsum antea egeramus; meministis enim, Nos haud ita pridem, pueris Belgarum, fame et egestate paene enectis, quantum in Nobis erat, opitulatos esse, eosque catholicorum caritatati publice commendasse. Quorum quidem communi largitati magnam partem debetur, si tot innocentium parvolorum necessitatibus consulere et incolumentem vitamque ipsam tueri licuit: quum enim Archiepiscopos Foederatarum Americae Civitatum ad tam praeclarum opus hortati essemus, continuo optatis Nostris generosus respondit plurimorum consensus. Prosperum rei successum hodie commemoramus, non tam ut laudibus ornemus homines in fastis christianaе caritatis merito inscribendos, quam ut Episcopi orbis terrarum universi, voce et auctoritate Nostra impulsi, Nostrum hac in re consilium, quantum apud suos gratia valent, exsequi nitantur atque contendant.

Adventante igitur D. N. Iesu Christi Natali die, ad miserrimos pueros Europae potissimum mediae, quos premit acrius earum indigentia rerum quae ad vitam necessariae sunt, sponte provolat cogitatio Nostra; tener-

rimamque sobolem eo maiore complectimur sollicitudine, quo expressius refert Nobis divini Infantis imaginem, propter hominum amorem in Bethlemitico specu hiemalia frigora rerumque omnium inopiam perferentis. Hac quidem occasione nulla profecto opportunior, ut Christifidelium caritatem et miserationem, atque adeo humanitatem omnium qui de salute humani generis non desperent, pro insontibus pueris imploremus.

Itaque mandamus, Venerabiles Fratres, ut, ad propositum, de quo locuti sumus, asse-
quendum, in vestra cuiusque dioecesi, publicis supplicationibus in diem octavum ac vicesimum proximi mensis Decembris indictis, quo die solemnia SS. Innocentium aguntur, stipem fidelium colligendam curetis. Atque ut in hoc nobilissimo beneficentiae certamine utilitati tot puerorum aptius propiciatur, praeter stipem, cibaria quoque et medicamenta et vestes et textilia corroganda videntur, quibus rebus populi earum regionum, prae ceteris adiumentis, indigent. Oblata vero eiusmodi dona quo demum pacto aequa dividantur et ad destinatum locum pervehantur, dicere vix attinet; id enim negotii vel iis societatis committi poterit, quas ad rem constitutas esse significavimus, vel qua alia cuique libeat ratione expediri.

Iam quibus hortationibus, ex officio universalis paternitatis Nobis divinitus credito, usi sumus, eas, quamquam ad catholicos potissimum pertinent, confidimus tamen, omnes, qui humanitatis sensus habeant, esse benigne excepturos. Ut autem exemplo reliquis praeemamus, etsi undique gentium et continenter a Nobis plurimum opis auxiliique postulatur, in puerorum eorundem levamen, pro facultatibus Nostris, centum milia libellarum italicarum conferre statuimus.

In auspicio interea secundi exitus, inque testimonium paternaе benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres, et universo clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xxiv mensis Novembris anno MDCCCCXIX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XV.

VACUI TEMPORIS HORA

Cum hoc labore meo sociorum participatio sequitur; quibus profecto amplissimas gratias et habeo et retero; eoque magis hodie, quum ad proximos festos dies ea spectet. Quae enim referre gaudeo, sunt **de natalitiis cupedariis**, quae Romae maxime, in more sunt. Ea nos vulgo *pangiallo, pinoccata, torroni* nuncupamus, suntque ab anonymo meo - ecquid socii, qui mihi auxiliantur, anonymum servare malunt? - ita eleganter descripta:

«Natalitius panis, quem Romani *flavum* appellant, conficitur parte similagineis aut pollinis minima, in quam oleum, optimum, quod sufficiat, albuminis autem exiguum, tantillum infunditur. Tum additur astaphidis tantum, quantum vel tricies exsuperet, quod ex oleo, farina et albumine fuit, atque hisce ad coronidem superaddentur, non avara manu, bellaria, amygdala munda, strobili, cinnamonum, saccharati citrini corticis frustula, et aromata omnia, quae palatum vellicent; denique tantum sapae dulcissimae, quantum par sit ad ea omnia versanda, et ita tenenda, ut in morem panis coalescant. Ex cupedinaris nonnulli hosce panes in mactra relinquunt ut fermentescant; quod ubi fiat, iterum validis manibus ex integro massam versant, iterum in panes sectae sphaerae similes fingunt, dantque cibano summa vigilandi cura, ne utram cadant in partem, nempe aut non satis cocti, aut siccii nimis, adusti extrahantur. Hic autem cupedinarii indoles et ars audentque tentantque digna mensis deorum; nam saccharo et farinae polline dilutis, albumine diu contrito et in spumas erecto, ac variis coloribus, iuxta quae sunt faciendae imagines, distincto, Minerva pictoria convexam illam panum partem primo delinquent plerumque candido, mox addituri frondes, flores, agrorum scenas, avium vel quadrupedum figuræ omnes, ita ut penitus gustans ignores utrum oculis aut palato delectabiliores adstructi sint».

Ita quidem; quamquam debilis stomachus meus, fateor, ab iis refugit; impar enim... oneri ferendo est huiusmodi panis.

Sed ad « salgama pinea » seu « pinosalgama » transeamus; « salgamorum nempe genus constans pini seminibus saccharino glutine inter se coagmentatis, formamque nunc semisphaerae, nunc rhombi praeferens, coloribus diversis pro cupedinarii voluntate distinctum, cui tamen nihil est praeter dulcedinem sacchari et levissimum pini aroma ».

Tertia denique cupediiorum, quae nominavimus, species est, quae « vel nucibus et avellanis, melle et polline colligatis, in regularum speciem deducitur, vel bellariis, amygdalis, avellanis insuper, citrinis corticibus, aneto, seminibus pini commixtis, melle et saccharo simul una haerentibus, comparatur azymis pelliculis circumvestita, vel circuaspsa undequaque saccharinis lapillulis, ne invicem liquefiantes adhaerescant. Haec, ubi confecta sint, quum mediocri clibani calore torreantur, ex hoc fortasse vulgo *torroni* italice dicuntur ».

Quid, ego inquam, si ex adiectivo « *torrus* », antiquitus pro « *torridus* » adhibito, *torrita* ea latine vocemus?...

Sed fuerit hoc nomen necne, experiamini, qui nondum gustavistis huiusmodi cupediaria; modice tamen sumpta, ni ea ricino quoque oleo aspergere et commiscere cogamini. A quibus quidem valde discrepant **omina** quae plautinis versibus ab inexhausto Iohanne B. Francesia – is saltem anonymous non fuit! – accepta, lectoribus meis humanissimis vicissim offero:

Vobis Sodales animo gratissimo,
Auspicio festa iucundiora proxima.
Enim quid dulcius, quid est optatius,
Fluat quam vita gaudiis circumdata?
Sed usque frustra verbis nos sollicitant
Viri potentes, adest nisi Dominus
Puer, qui Betlehem propediem nascitur.
Ab armis olim sperabamus optime....

At, at si vicimus, boni quid accedit?
Erant loquaces primum qui dulcissima
Pollicebant auri plena flumina...
Mox taciturni promittebant insuper,
Et nostris muscas reliquerunt manibus!
Ille fidelis semper promissionibus
Suos felices vult in terris filios;
Caelestium tacens olim ministerio,
Pacem promisit cunctis et mortalibus,
Forent si bona voluntatis dummodo.
Ita mortales, multae quos miseriae
Nimis sequuntur, premunt et angustiae,
Aures divinis Consiliis flectite.
Faciet quod ipse pollicetur affatim
Vobis ut modestis olim pastoribus.
Dabit cunctis amplam terrae pinguedinem,
Et quidquid caeli stillant saepe roridi.
Suis sic ALMA ROMA nunc lectoribus
Haec et meliora auspicatur alacris.

Locosa.

Tuccius ad impendia facienda missus, matri tales rationes reddit, ut facere ipsa non possit quin acerbe eum increpet:
— Furcifer impudens! Tu matrem es furatus!

— Quinimo, in familiae bonum, commercium exercui. Eimi scilicet minoris, plurisque vendidi.

In via:

— Potes mihi iter indicare per quod brevius ad carcerem perveniam?

— Tabernam hanc gemmarii ingrediaris, pretiosissimas gemmas rapias, concitatissimo deinde cursu te feras, paucisque momentis post in carcerem profecto devenies.

Aenigmata.

I.

Primum est propositio;
Agri cinguntur altero.
Quid totum? Proh dulcissima
Christianae genti visio!
In toto Iesu consideret,
Puer iucundus, innocens.

II.

Prima creatur api; labris pars altera clausa est;
Utraque mixta tibi dulce poëma dabit.

(Aenigmata in superiore numero propo-
posita his respondent: 1] C-ursus; 2] Noëtica
area). IOSFOR.

JOSEPHUS DR. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

INDEX RERUM VOL. VI

(AN. VI — FASC. I-XII)

	PAG.
Alloquia sociis et lectoribus.	
1, 69, 120, 159, 177	1
Annales.	
15, 29, 48, 64, 82, 100, 116, 136, 154, 172, 189	1
Apologetica.	
De novi Codicis Canonici praestantia (<i>Philippus Maroto</i>)	34, 53
Floralia (<i>Senior</i>).	76
De primatu S. Petri eiusque successorum apud Ioannem Chrysostomum (<i>E. Hugon</i>)	91
Archaeologicae res.	
De ritibus funerariis nonnulla (**)	164
Christi nati repraesentatio in ingenuis veterum christianorum artibus (**)	186
(Vid. etiam <i>Vetera et nova</i>).	
Ars.	
De delectatione, quae ex pulchro oritur (<i>G. Lepore</i>)	92
De sensitiva pulchri perceptione (<i>G. Lepore</i>)	128, 143
Carmina.	
De Iesu puero historiae (<i>I. B. Francesia</i>).	8
Virgo Guadalupensis (<i>P. Spina</i>)	24
Ad militis sepulcrum (<i>D. Macrae</i>)	40
Iesu Christi Passio versibus a Vergilio de- promptis (<i>C. Mengolarro</i>)	56
Ad Crucem Golgothaeam (<i>Fr. X. Reuss</i>) . .	60
Philumena V. et M. (<i>I. Bonavenia</i>)	78
Epistola senis ad iuvenem (<i>Fr. X. Reuss</i>) . .	95
Pax Natalicia (<i>Fr. Sofia Alessio</i>)	110
Benedicto XV in diem III mens. Septem- bris MCMXIX quintum emenso annum ex quo electus est Pont. Maximus (<i>S. Marti- nez</i>).	123
In concilium Parisiense de pace (<i>F. X. Reuss</i>)	131
Coralium (<i>F. T. Moltedo</i>).	158, 175
Communia vitae (Forfex).	
De salutatoris formulis: Occursanti saluta- tio. - Invisenti salutatio. - Salutatio com- missa. - Salutationes inter pocula	26
Necrologia.	
Franciscus Card. Cassetta (<i>I. F.</i>)	68
Franciscus Tranquillinus Moltedo (Vid. <i>Lit- terae et Philologia</i>).	
Oeconomicae et sociales quaestiones.	
Anno MCMXVIII exeunte ... (<i>F. X. R.</i>) . . .	3
Dum Lutetiae Parisiorum Conventus de pace agitur (<i>Romanus</i>).	19

	PAG.
De nationum foedere Lutetiae Parisiorum edicto (<i>Romanus</i>)	33
De « Bolscevikorum » factione (<i>Romanus</i>)	87
De duobus « filiis olei » in christiana gentium societate (<i>I. Tasset</i>)	107
Vox paterna (<i>Romanus</i>)	124
De Polonia (<i>I. B. F.</i>)	141
Socialistarum commenta de re publica gubernanda (<i>Romanus</i>)	177
 Philosophia ac Theologia.	
De Christi nati scientia (<i>E. Hugon</i>)	4
De consensu doctorum Ecclesiae Orientalis et Ecclesiae Latinae in dogmate SS. Trinitatis vindicando (<i>E. Hugon</i>)	69
De theosophismo (<i>E. Hugon</i>)	160
 Pro iunioribus.	
De typographiae sive artis impressoriae inventione (<i>H. Salmuth</i>)	12
Brevis inter sanctum Franciscum Xaverium cum Henrico Stanleyo collatio (<i>I. B. F.</i>)	44
	61, 99
De typographiae sive artis impressoriae inventione additamenta (<i>A. Fulconis</i>)	79
Landulphus Rupholus (<i>X.</i>)	115
 Roma Sacra.	
Benedicti PP. XV erga Orientales populos sollicitudo	65
Benedicti PP. XV epistola ad Germaniae episcopos de S. Bonifacio, Germaniae apostolo, ac de eius perfecta constantique cum Apostolica Sede coniunctione	121
Benedicti PP. XV litterae apostolicae ad Germaniae episcopos, in quibus opportuna monita proferuntur, ut, pace tandem sancta, belli damna, catholicae Ecclesiae opera, quamprimum resarciantur.	139
Benedicti PP. XV epistola encyclica ad subveniendum pueris, Europae praesertim mediae regionum, quos premit acrius earum rerum indigentia, quae ad vitam necessariae sunt	190
Ex Congregatione S. Officii: De theosophismo	140
Ex Congregatione de Religiosis: De Religiosis servitio militari adscriptis	140
 Scenicae fabulae.	
« Ad Carcerem » (<i>I. B. Francesca</i>). 18, 68, 86, 104	

	PAG.
 Vacui temporis hora (Iosfor).	
Mensarum ordo	16
Fuci, Alopecia	16
Rationum libri, idest tabulae accepti et expensi	16
Adversaria	17
Panis, lac, caseus	30
De cibis praeceptum	31
Dedicatio Woodrovio Wilson	31
Barbae tributum	49
Quanta cura tractandum sit horologium . .	50
Opificum a laboribus desertiones	66
Obsonia	66
Horologium rotis circumactum	83
Barba singularis	84
Venatio e saccaro	102
Musica et Lux absque filis	102
Inscriptio anaporicò horologio apposita .	102
Terraemotus	118
Terraemotus descriptio	119
Centenaria dies	119
Felium maumatus	137
Novum barometri genus	137
Agrestium rerum consideratio	138
Tibialia	155
De morositate scriptorum	156
Utilia simul ac suavia	156
Muscipulae usus	173
Animal, quod « a Pigritia » dicunt	174
De natalitiis cupediariis	191
Omina	192
Iocosa. 17, 31, 50, 67, 84, 103, 120, 138, 156, 174,	192
Aenigmata 17, 31, 50, 67, 84, 103, 120, 138, 156, 174	192
 Varia.	
Latinus sermo diffidentes animos conciliat	7
Ignivomi montis Anezatelpèc in Republica S. Salvatoris recens eruptio (<i>I. N. Guardado</i>)	10
De muscis (<i>Subalpinus</i>)	14
Woodrowius Wilson Augustam Taurinorum invisiit (<i>Subalpinus</i>)	20
Actuosa Taurinensium vita (<i>Subalpinus</i>)	81, 96, 131, 169
De pallio Astensis (<i>Subalpinus</i>)	133
 Vetera et Nova.	
De domorum calefactione (<i>I. F.</i>)	41
De automis (<i>Senior</i>)	112
De cautelis annonariis (<i>A. Fulconis</i>)	129
De nuptiis (<i>Forfex</i>)	150